

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0376

0374

0380

0370

363

funes circumduximus et tapetiis et linteaminibus appensis quasi
capellam fecimus et ita accensis cereis et ostio curiae obserato
Officium dominicale celebravimus cum pace, quiete et devo-
tione. Et ut nullus intra Missarum solemnia ad ostium pulsaret,
locavimus ante ostium Elphahallo Sarracenum, qui pulsare vo-
lentes prohibebat usque post Missam. Sicque singulis diebus
sine impedimento celebravimus, demto impedimento vesparum;
nam in pariete erat foramen prope altare, de quo exibant et
intrabant vespae innumerabiles magnae quantitatis et cele-
brantem pisando circumvolabant, et si foramen obstruere vo-
lebamus, offendebantur et iratae alia foramina fecerunt, quia
paries erat luteus et cum majori periculo et impetu et multi-
tudine eruperunt. Conabamur multis modis extirpare et
extinguere aviculas istas, sed non potuimus, nisi totum pa-
rietem deposuissemus. Et quamvis continue circumvolarent
nos, nullus tamquam aculeo alicujus punctus fuit.

Tres eramus sacerdotes, scilicet Pater Paulus, Ordinis Mi-
norum, et dominus Johannes, archidiaconus Transsilvaniensis
et Frater Felix Ordinis Praedicatorum et ita ordinavimus,
quod quasi omni die Missam habuimus. Igitur Missa audita
pransi sumus et post prandium factus est magnus ad nos
concursus juvenum et puerorum. Quidam autem Sarracenus
juvenis associavit se uni militi de sociis nostris et petivit ab
eo flasconem suam vacuam, promittens ei, quod reportaret
vino plenam. Miles flasconem tradidit, cum qua juvenis abiit;
cum admiratione autem juvenem exspectavimus, scientes, apud
Sarracenos non esse vinum. Igitur juvenis ivit et nescio quo in
loco vinum nomine nostro postulavit et obtinuit, mox autem,
ut vinum accepit, gustavit et allectus ejus dulcedine totam
flasconem ebibit, quasi duas mensuras Ulmenses, et ineptius
fuit et perdita ratione insanire coepit et per vicos cucurrit,
clamans et cum lapidibus projiciens. Servi autem praefecti,
missi ad capiendum eum, sequebantur furentem. Hoc cum
vidisset, non fatuo consilio cucurrit ad curiam nostram, tam-
quam ad locum refugii et libertatis; si quidem statutum Soldani
est, quod ubicumque morantur transmarini peregrini, ibi est
asylum, i. e. locus refugii, nec potest refugiens inde tolli. Mansit
ergo juvenis nobiscum usque ad vini digestionem. Praefectus

Ende

Anfang

